



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 128. Theodori Antonii Peltani obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.
A.C. 1584.

quam octogenarius moriebatur die duodecima Septembris anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo quarto. Ceterum illius versiones tanquam satis accuratæ deprædicantur, ex cunctis autem ejus operibus vel maxime celebratur ejusdem oratio de restauranda disciplina Ecclesiastica, ubi sexto Calcedonensis Synodi Canoni, quo nullus sine assignato beneficio, aut Officio Ecclesiastico sacris Ordinibus initiari permittitur, innixus in suo sermone contra Commendas, resignationes in alterius favorem, aut cum jure regressus factas, necnon contra beneficiorum nundinationes acriter insurgit, simulque usum carpit, quo Cardinalibus, quibus jamjam Ecclesiarum tituli sunt collati, adhuc Episcopatus conferuntur: insuper Hervetus gallico idiomate plura dogmatica opuscula conscripsit contra hæreticos, ubi satis accommodè sacris Paginis, & traditionibus ad stabilendas Catholicæ fidei veritates, & refellendos errores eis oppositos utitur.

§. CXXVIII.

Theodori Antonii Peltani obitus.

Dupin.

pag. 452.

Kibadin. &

Alegamb. de

Script. Soc.

Valer. Bibl.

Aelg.

Ceteri Scriptorum, qui hoc anno fati-
cesserunt, sunt sequentes. I. Theo-
dorus Peltanus, seu Pelten, ita voca-
tus, eoquod Peltæ in Leodiensi Diæ-
cæsi

cesi natus esset. Hic humanioribus literis apprime eruditus satis profundam græci, & latini idiomatis cognitionem hauerat, ac postea Jesuitarum Institutum amplexus inter primos hujus Societatis Alumnos numerabatur, qui in Univerſitate Ingolſtadienſi ab Alberto Baviaræ Duce circa annum Domini millesimum quingentesimum quinquagesimum sextum erecta publice Græcam, & postea Hebraicam linguam ac denique Theologiam per duodecim annos tradebat: evoluta autem hoc tempore Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo quarto ad Collegium Auguſtanum mittebatur ibidem exhaustis viribus quietem indulturus, verum decimo post anno die secunda Maji anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octogesimo quarto obiit. Hic idem præter plura Græcorum Patrum opera in latinum translata non paucos etiam scripsit tractatus dogmaticos contra Proteſtantes, præcipue vero de peccato Originali, satisfactione Christi, Purgatorio, piis operibus, cultu Sanctorum &c. Verum illud opus, quod de sacra Scriptura elucubrabat, parum æſtimatur, eo quod hoc argumentum nonnisi iuperficietenus pertractet.

Sæcul. XVI.

A.C. 1584.